

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johann Quistorp

**Programma, Rectoris Academici, D. Johannis Quistorpii, Theolog. Prof. P. in  
Obitum ... Matronae B. Dorotheae Stephani, Uxoris ... Viri Dn. D. Johannis  
Wegeneri, ICti Clarissimi**

Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774673575>

Druck    Freier  Zugang



Quistorp, J.

in D. Stephan, usor.

J. Wegener. Rostock 1663.







PROGRAMMA,  
Rectoris Academiae,  
**D. JOHANNIS QVISTOR-**  
PII, ΘΕΟΛΟΓ. Prof. P.

in

Obitum<sup>s</sup>  
*Honestissime & Ornatisimae*  
MATRONÆ

**B. DOROTHEÆ  
STEPHANI,**

Uxoris desideratissimæ,  
*Amplissimi & Consultissimi*  
VIRI

**D N D. JOHANNIS WE-**  
GENERI, JCti Clarissimi.



• (o) •

ROSTOCHII,  
Typis JOHANNIS KILII Acad. Typogr. Ao. 1663.

AUGUSTINUS

*Serm. X. ad frat. in Eremo.*

O spes præmij, tu omnia portare fas  
cis dulciter & suaviter: per te fide-  
les, ad mortem gaudentes  
pergunt.



Rector Academicus

D. JOHANNES QVISTORPIUS,  
Past. & Prof. P.



ulta cum sint orna-  
enta mulieris Christianæ,  
præter pietatem erga De-  
um & dilectionem proxi-  
mi: rum haud scio, an non  
reliquorum præcipua sint,  
Amor mariti, amor libero-  
rum, & sedula rei familia-  
ris cura. Etenim quæ vi-  
rum, in cuius manum, relictis parentibus, semel  
convenit, amat, in eo sibi omnia sita esse arbitra-  
bitur, & haud facile vel omittet, vel committet,  
quod oculos ipsius & animum offendere possit:  
faciet autem, & animo quidem lubentissimo, quæ  
marito sciet fore quam gratissima. Ejus generis,  
Andromacham fecit Homerus Iliad 6. cum ad  
mari-

jo(

maritum loquitur, Tu mihi es pater & veneranda mater, & frater, tu & mihi florens maritus. Hunc amorem comitatur concordia, vinculum conjugij adamantinum, & ornamentum preciosum. In tali conjugio fiunt omnia communia. Quod Romani suis legibus declararunt: quibus vetabatur inter *Conjages* dari aliquid, aut accipi, ne quid distinctum & proprium esse alterutrius videretur. E contra, discordia alienat virum ab uxore: quam Salomon tecto in hyeme perstillanti assimulat, quia haec mala res Virum domo expellit. Idē Satius ait, esse, habitare in desertā terrā, quam cum uxore litigiosā & iracundā. Porrò ex mariti amore, nascitur amor eorum, quos tanquam amoris mutui pignus honesta & casta mulier accepit, eumq; declareret sedulā curā in educandis & informandis quos peperit. Cūm enim officia mariti non raro ea sint, ut huic rei vacare, ita ut merebatur, non possit, nullā re magis amorem suum, quo erga maritum ardet, honesta & pia matrona declarabit, quā meo, quem ipsis liberis præstat: & ut in marito omnem thesaurum sibi reconditum habet, ita hos, ex isto natos, alterum thesaurum, nec minoriamore complectetur, nec leviori curā servare studebit. Opulenta quādam Campana cum Romanum venisset, exceptaq; esset hospitio à Cornelīa matre Gracchorum, illa huic omnem

omnem mundum muliebrem explicuit, sanè  
gemmais, auro, vestibus divitem; quem ubi sa-  
tis laudavit Cornelia, rogavit Campana, ut illa vi-  
cissim ostenderet sibi, quid in ejus cimelijs preti-  
osum haberet: Commodum aderant pueri Grac-  
chi ex Ludo literario reversi, quos illa digito com-  
monstrans, inquit, hi mea cimelia, hi thesauri.  
Nec aliud Lacæna Jonicæ cuidam de texturâ glo-  
rianti, quatuor sibi filios esse, inquit, omni textu.  
râ ac telâ cariores. Et sanè Cornelia hunc suum  
amorem satis declaravit in eo labore, quem pu-  
eris erudiendis ipsa simul cum aliis magistris sumi-  
fit: idq exemplum aliæ secutæ sunt. Reide-  
niq; cura familiaris, ita honestæ & sedulæ matri fa-  
miliæ propria est, ut nefas penè sit, eam domi  
quidem, cum viro communicare, viro enim con-  
venit foris quærere, quod illa domi servet. Ex  
hoc genere, fuit ea, cui hæc scribimus, Amplissi-  
mi & Consultissimi Viri Dn. D. JOHANNIS WE-  
GENERI Jcti, & Illustrissimi Consistorii Consi-  
liarii fisci laudatissimi, Uxor DOROTHEA STE-  
PHANA; quæ & maritum & liberos & rem fa-  
miliarem ad hunc propè modum amavit: Nec  
sanè aliter decuit eam, quæ ex ejus generis Pa-  
rentibus & majoribus ortum duxit. Nata siqui-  
dem est ex iis Parentibus, qui istarum virtutum

Io(

simul

simulpræcepta suppeditabant & exempla. Patre  
quidem B. M A T T H I A S T E P H A N I, J Cto,  
Consiliario Ducum Pomeraniæ, & Antecessore  
Acad. GryphisW. incomparabili. Matre Piâ  
DOROTHEA SeidelS. Ayo gavisa est Pater-  
no B. HYPPOLITO STEPHANI. Materno a.  
B. JACOBO SEIDELIO, Med. Doctore, Prof.  
GryphisW. ac Pomeraniæ Ducis Archiatro cla-  
rissimo. Ex his Parentibus nata, Anno 1622.  
d. 10. Nov. non aliter educata est, quam Virginis  
ex Amplissima familia orta conveniebat, in  
pietatis, castitatis & prudentiæ Oeconomicæ  
studio: ijsq; virtutibus conciliavit sibi virum,  
cujus neq; tantam familiam, neq; tam eximiam  
Virginempœniteret, Dn. D. JOH. WEGE-  
NER U M, Juris assertorem egregium. Huic  
marito, legitimis nuptiis, Anno 1641. d 3. Nov.  
conjuncta (quo ipso tempore, Ego Gryphis-  
Waldiæ studiorum gratiâ vivebam,) ita vixit, ut  
Viri amorem florente sobole, amorem sobolis  
felici educatione Deo benedicente, testaretur.  
Concessit autem huic conjugio Deus Sobolem  
Novenum liberorum. Ex quâlicet communis  
mortalitas Duos decerpserit, ramen Septem re-  
liqui, JOHANNES, G E N D E R H E, MA-  
THIAS, HEINRICH, PETRUS, DOROTHEA  
& JOACHIM, defunctorum vicem abundè sup-  
plent.

plent. Verum ut omnia caduca sunt, perenne  
sub polo nihil: Ita & huic felicitati sua periodus  
decreta, suus terminus constitutus est. Cum  
enim hæc B. Matrona, Viri Amplissimi honoris  
bus, liberorum flore gauderet, cursum istius felici-  
tatis turbavit, elapsa die 5, Morbus insperatus,  
quem Exercitatus Medici nostri, Dn. D. BACH-  
MEISTER, & Dn. D. MARCHE, Prof. publici,  
protelare haud potuerunt. Eorumq; de subita-  
neâ hac infirmitate, sententia sic sonat. De Mor-  
bô, cuj; vehementiaz succubuit Matrona hæc piis-  
simâ, hoc solûm commemorare datur: fuisse eum  
Colicum & convulsivum intestinorum dolorem,  
cum subversione ventriculi, indeq; dependenti-  
bus vomitionibus frequentissimis, quorum sym-  
ptomatum violentiâ adeò mox prostratae fue-  
runt vires, spiritusq; vitales dissipati, ut per aliquot  
etiam ante obitum horas, arteriarum pulsus vix  
amplius animadverti potuerit, sicq; animo con-  
stans, brevi post placide ac pie Matrona hæc ex-  
spiraverit. Illa ipsa ingravescere morbo, animæ  
suz optimè consuluit, & abs pl. Reverendo Dn. D.  
HENR. MULLERO, Th. Prof. & Pastore vigilissi-  
mo, impetrata peccatorum condonatione, cor-  
pore & sanguine Crucifixi resesta est. Ac demum  
Redemptori suo, reposcenti animam, reddidit; at-  
que ita beatè obdormivit d. IX. Martii, mediâ no-  
cte;

Ete, Annūm cum ageret XLII. Nullum dubium  
est, quin anima Dei manibus commendata, suā  
beatitudine utatur, fruatur: Maritus verò ex hac  
~~dixotopis~~ dolorem gravissimum sentiat, qualis  
hoc genus discidii comitari solet. Quem licet su-  
perstites liberi suā pietate magnam partem leni-  
ant, tamen non nihil nobis quoque relictum est.  
Non solum igitur, quod possumus, Deum roga-  
bim⁹, ut Spiritum sanctum efficacissimæ consola-  
tionis ei impertiat, & animum gravissimā ægri-  
tudine afflictum erigat: sed etiam exequias no-  
strā frequentiā celebrabimus, ita, ut intelligat,  
merita sua & favorem nostro ordini semper pa-  
ratum & promptum, eo à nobis loco acceptum &  
positum esse, quo qui summus est, accipi & collo-  
cari debet. Quare hortamur & invitamus omnes  
nostræ jurisdictioni subjectos, ut hoc officium  
non tam nobis, licet nobis quoq; præstitum pu-  
tabimus, quam ipsi Dn. Doctori præstare velint,  
& in templo Mariano ad hor. primam, frequenter  
convenire; ubi non solum nostras fortunas & Ec-  
clesiam Deo commendemus, sed etiam nostram  
mortalitatem recordemur, & ad migrandum,  
cum Deus jusserrit, nos accinctos esse  
declaremus.

P.P. Rostochij die 13. Martij

Anno 1663.











plent. Verum ut omnia caduca sunt  
sub polo nihil: Ita & huic felicitati sunt  
decreta, suus terminus constitutus  
enim haec B. Matrona, Viri Amplissi-  
bus, liberorum flore gauderet, cursu  
citatis turbavit, elapsu die b., Morbus  
quem Exercitati simi Medicis nostri, D.  
**MEISTER**, & Dn. D. MARCHE, pro-  
telare haud potuerunt. Eorum  
neā hac infirmitate, sententia sic sona-  
bo, cujus vehementiae succubuit Matr-  
simā, hoc solūm commemorare datu-  
m. Colicum & convulsivū intestinoru-  
cum subversione ventriculi, indeq;  
bus vomitionibus frequentissimis, q;  
ptomatū violentiā adeo mox prae-  
runt vires, spiritusq; vitales dissipati, u-  
etiam ante obitum horas, arteriaru-  
amplius animadvertisi potuerit, sicq;  
stans, brevi pōst placidē ac piē Matr-  
spiraverit. Illa ipsa ingravescere m-  
suā optimè consuluit, & abs pl. Reve-  
HENR. MULLERO, Th. Prof. & Pasto-  
mo, impetratā peccatorum condon-  
pore & sanguine Crucifixi refecta ei  
Redemptori suo, reposcenti anima-  
que ita beatē obdormivit d. IX. Matr-



the scale towards document